

XVII  
CATALOGVS  
EPISCOPORVM HILDESHEIMENSIVM,

Ex MSto.

Hildensemensium Episcoporum nomina. Quæ fundatur à Ludovico  
filio Caroli 822.

I.

- U**ntarius. Hunc Ludovicus ordinari fecit. Hic capellam in cimiterio ædificat, in qua sepelitur.
2. *Reimbertus* obiit 825.
  3. *Ebo* Archiepiscopus Remensis, deponitur & Hildensem Imperatoris clementia relegatur, sedit annis 12.
  4. *Altfriidus* 847. urbs Hildesem consummatur 871. obiit 875. sedit annis 29. Post Altfriidum postulatur monachus Corbeiensis *Ludolphus*, sed morte præventus auferitur anno ordinationis suæ quarto.
  5. *Marquardus*, occisus est à Slavīs anno suo quarto.
  6. *Wichbertus* medicus expertus. *Bibliam totam* conscripsit, quæ adhuc servatur ibi. Consecrauit *Gandersem* 888. (\*)
  7. *Walbertus*, hic præposituram & præbendam fratribus instituit, ut scilicet tertia pars proventuum ecclesiæ cedat fratribus.
  8. *Sebardus* 883. sedit annis 40.
  9. *Tithardus* abbas *Hersveldiæ*, sedit annis 27. *Otto* Dux primus Saxonix obiit 899.
  10. *Otwinus* abbas *Magdeburgensis*, hic curtem acquisivit *Ghisenheim*. Hic ecclesiam in honore *S. Mariæ & S. Epiphani*, quem de *Papia* adduxit, in australi parte principalis ecclesiæ construxit; anno ordinationis suæ XXX in pace quievit.
  11. *Osdagus* quatuor annis, obiit 991.  
*Magdeburg* fundatur: *Adelbertus* primus Episcopus 940.
  12. *Gerdagus* anno ordinationis tertio *Roma* rediens obiit 993.
  13. *Berwardus* sanctus, regius capellanus, cœpit 993. *Monasterium S. Michaelis* construxit, *Abaciam* & monachos instituit, & CCC mansos tribuit ad convictum. Hic dedicat Ecclesiam in *Gandersem* præsentem *Hinrico Rege & Willegiso Episcopo*, anno Domini 1107. Anno Domini 1022 obiit anno ordinationis suæ XXXI. a Cœlestino canonisatus.
  14. *Godehardus* sanctus, Abbas *Althensis*, ecclesiam *Gandersem* obtinuit in synodo. Obiit anno Domini 1038. ordinationis suæ XVI, & fundat *monasterium in Sulta*. (\*\*). Anno autem Domini 1027, obitus autem sui 92; *Bertoldus* *Hildesheimensis* Episcopus XXmus ipsum obtinuit transferri, & in *Sanctorum* catalogo numerari ab *Innocentio II.* in *Remensi* concilio.
  15. *Thitmarus* regius Capellanus. *Coronam auream* ante altare pendentem obtulit anno suæ ordinationis sexto, subita morte prævenitur 1043.
  16. *Azelinus* regius capellanus. Decimo anno subita morte obiit 1053.
  17. *Hettilo* *Goslariensis* præpositus, *elemosynarius magnus* in omnes, obiit 1079 suæ ordinationis 26.
  18. *Udo* sedit annis XXXVI obiit 1115.  
*Brunyngus* ecclesiæ *Goslariensis* *Canonicus*, *Decanus* à Rege *Hinrico* investitur anno Domini 1116. Sed quatuor annis non confirmatus præfidens apud *Sultam*, resignavit, vitam *Canonicam* instituit ibi & duxit, ibique sepultus est 1120.
  19. *Bertoldus* præpositus major. Sedit annis X. *Canonicos regulares* in *Beenenrode* instituit, obiit 1130.
  20. *Bernhardus* construxit Ecclesiam *S. Godehardi*, *Abbatem* & monachos instituit. Fuerat præpositus summus. Sedit annis 24. Obiit 1153.  
*Riddagsbusen* & *Walkenrode* fundantur 1146. In *Brunswik* erigitur *effigies Leonis* per *Hinricum Leonem* 1166. Fundavit Ecclesiam *S. Blasii martyris* 1173. *Mirabilia* in *Halberstat*, & *Fr. Wigandus* &c. occiditur.

U

21. Epi-

(\*) Factum est anno 881. teste *Rofvitarum Carmine* de *Fundat. Eccl. Gandersh.*  
(\*\*) Immo anno Domini 1132, obitus autem sui 94 *Bernhardus* 4 Non. Maji translationem peregit, cum anno præcedenti in concilio *Remensi* anno 1131 canonisationem à *Papa Innocentio II* obtinisset, & quæ *Bertoldus* antecessor jam anno 1128 biennio ante obitum deliberaverat.



21. Episcopus Hildensfemensis *Bruno* devotus, cepit (\*) *octavam S. Mariae* celebrare in conclavi, obiit 1161.
22. *Hermannus* præpositus S. Crucis, in Italia obiit 1169. Dedicat *altare Brunswik Blasii* in medio chori anno Domini 1188. quam Ecclesiam fundat *Hinricus Leo* 1173.
23. *Adelbodus* obiit 1190. Anno Domini 1172. floruit [Bernio].
24. *Berno*. Hic primo magister Scolariū, postea Decanus.
25. *Conradus* regius Cancellarius, ad Herbipolensem ecclesiam translatus, occisus est.
26. *Hartbertus*, obiit (\*\*) 1200.
27. *Sifridus*, (IV\*) obiit 1227. sepultus in abside meridionali.
28. *Conradus* magister in Theologia. Collocat Hildesh. *fratres prædicatores & Minores*. Crucem dedit *Ludewico* marito *S. Elizabethæ*. Sedit annis 27. Obiit (V\*) 1248. XV. Cal. Jan.
29. *Hinricus* Præpositus in *Hilghenslat*. [electus] 1246. annis XI.
30. *Maynardus*, non nominatur à quibusdam (VI\*) 1260, [sed addit recentior manus: forte fuit Halberstadiensis, qui tunc sic vocabatur.]
31. *Johannes*, hic de nobilibus de Brakele, 1257.
32. *Otto*, Filius *Alberti Ducis de Brunswik*, 1261. obiit 1280.
33. *Sifridus*, hic de nobilibus de Querforde, Magdeburgensis Decanus.  
[Huc usque ex vetusto Libro minio scripto, adduntur eadem manu atramento consignata:]
34. *Hinricus* 1311. Comes in *Woltenbergbe*, annis 7.
35. *Otto* 1317. Comes in *Woltenbergbe* annis 14. præfuit.
36. Duo simul Episcopi *Hinricus & Ericus* 1331. *Hinricus* conciliatur (VII\*) 1346. aliàs 1355.
37. Ante *Gerbardum* fuit Episcopus *Johannes Scadebant* ordinis prædicatorum, qui resignavit post duos annos.
38. *Gerardus de Berga* bellicosus. Fundat *Cartusiam Hildensfemensem*, ubi sepultus est.
39. *Johannes*, 1398. Comes de Hoya.
40. *Magnus*, 1424. Hic dicitur in ordine quadragesimus. Sub eo cepit reformari monasterium in Sulda per Patrem *Johannem Busebk*, qui biennio ante fuerat *Supprior in Wittenborch*, illuc missus de *Windesem*, de quo habetur S. C. de *Scowenburg*.
41. *Ernestus* eligitur anno Domini 1459. obiit 1471.
42. *Hermannus Landgravius Hassia* eligitur, resignavit 1472.
43. *Henningus van dem Hefz* Decanus, confirmatur Romæ in Episcopum Hildensfemensem; sed à vasallis & præpositis refutatur, propter quod multæ gverræ factæ fuere.
44. *Bertholdus Episcopus Verdenfis* eligitur in Episcopum Hildensfemensem anno Domini 1487. Obiit 1502. (VIII\*) assumptionis.
45. *Johannes de Louenborch Dux Saxonie*, ei resignavit Episcopatum frater ipsius electus, Canonicus ecclesiæ Coloniensis. [Manus recentior.]
46. *Valentinus Deiteleyf* Doctor. Existimo præpositus Hildesfemensis, vasallus. [Hæc apposuerat manus recentissima.]

## XVIII.

- (\*) Nativitatem B. Virginis cum octava primam celebravit.
- (\*\*) Rectius: obiit 1217.
- (IV\*) Resignavit anno 1220. Habetur diploma Honorii Papæ datum anno Pontificatus V, VII Kal. Febr. quo missionem impetravit.
- (V\*) Alii 1249.
- (VI\*) Obiit *Meinhardus* Episcopus Halberstadenfis anno 1254.
- (VII\*) Post obitum *Eri* *Henricus* urbi Hildesie reconciliatus, factaque *Soma* dicta *Damonis* anno 1346. in Vigilia S. Martini. *Henricus* ab excommunicatione solutus anno 1354, ut testantur literæ, Innocentii VIII jussu per *Bertrandum Sabinæ* Episcopum & Cardinalem XIX Octobr. hujus anni Avinione datæ, ubi vires suas relaxandæ excommunicationis *Abbatibus Riddageshusano & Betzingerodensi & Archidiacono Tzarstedenfi* committit. Videtur obiisse paulo post initium anni 1363 (6 Febr. Sed male prioris anni habet *Chronicon* à *Paulino* editum) quoniam extat conventio inter Canonicos facta hoc anno die Martis post Dominicam *Invocabit*, ut administratio reipublicæ tribus Canonicis, Sacerdoti, Diacono & Subdiacono committeretur, donec per Pontificem Romanum novus interrogaretur Episcopus.
- (VIII\*) Obiit in vigilia Ascensionis Dominicæ.

